



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Autoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Titulus XXIII. De delictis Puerorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

Quest. 386. Quid juris sit in casu commissa collusionis?

Resp. Si reus interveniente collusione absolutus fuit per sententiam, potest denuo accusari, & inquiri contra illum, dum de collusione constat. Arg. c. fin. h. r. & L. pravaricationis. §. 1. ff. de pravar. juncta L. 1. de accusat. idque, tum ne delicta maneant impunita L. 35. de sent. excom. tum ne reus ex sua malitia referat commodum. contra L. 1. ff. de dolo. His non obstantibus, quod Sententia Judicis absolutoria ita tollat crimen, ut de eo queri non possit amplius. arg. L. si cui. §. 2. & c. de his. ff. de accus. nam sententia lata per collusionem non est nulla, habetque se, ac si lata non fuisset, L. cum non. ff. h. r. L. pignus. c. de pignor. Si verò commissa collusio seu tergiversatio accusatore criminali ab accusatione desistente, potest, imò debet Judex ex officio inquirere & procedere. Arg. c. 1. §. 2. h. r. ne delicta jam semel publicata maneant impunita. cit. c. ut fama de sent. excom. & L. ita vulneratus. ff. ad legem Aquil. Ac denique si reus accusatorem vel Advocatum induxerit, ut secum colluderet, haberet pro victo. L. fin. h. r. & Sententia absolutoria rescinditur. L. 3. §. 1. ff. h. r. nisi sit causa sanguinis. L. 1. ff. qui bona eorum, qui ante sent.

Quest. 387. Quenam sit pœna collusionis?

Resp. Primò: Præterquam quòd pœna collusionis seu pravaricationis (intellige propriè talis) sit arbitraria, seu extraordinaria pro diversitate circumstantiarum, juxta L. sciendum. ff. de pravaric. juncta L. 1. §. si quis. & L. 3. ff. ad S. C. Turpill. pœnam infamiae in specie incurrit pravaricator. L. si is. ff. de pravaricat. L. 1. ff. qui not. infam. & ab accusandi munere accetetur. L. 5. ff. h. r. Menoch. de arb. cas. 323. n. 12. Lauterb. ad ff. tit. de pravaricat. §. 3. Item propriè talis convictus

eàdem pœnâ afficitur, quâ teneretur, si ipse in legem commisisset, quâ reus per pravaricationem absolutus est. L. 6. ff. h. r. Lauterb. l. c. & in specie, si collusio fiat super beneficio ecclesiastico, uterque colludentium privati debet beneficio. c. audivimus. h. r.

2. Resp. Secundò: Prævaricatores minùs propriè tales, nimirum Advocatus & Procurator (idem de accusatore in extraordinariis Judiciis dicit Lauterb. §. 4.) non dictâ pœnâ ordinariâ, sed extraordinariâ & arbitrariâ puniuntur. L. 1. §. 1. & L. 2. ff. h. r. Procuratores etiam secundum constit. Carol. qui ex proposito & dolo malo in causa, sive civili, sive criminali pravaricati, & desuper legitime convicti, non tantùm omne damnum inde perpeffum cum interesse clienti resarcire tenentur, idque actione mandati. Menoch. l. c. num. 9. Lauterb. §. 5. verùm etiam in numellis exhibitii fustigatione & relegatione afficiuntur. L. 38. §. 8. A. 9. ff. de pœnis. causa verò decisa denuo tractanda. L. 1. c. de advocat. quam tamen pœnam non extendi ad Advocatos pravaricantes volunt DD. sed hos arbitrariâ pœnâ pro qualitate personarum & circumstantiarum coercendos, iuxta L. 1. §. 1. ff. h. r. Item remotione ab officio, relegatione. Carpz. p. 1. decis. 91. n. 18. & L. 3. resp. 3. n. 4. non tamen sine nota infamiae. Brunnem. ad L. 1. de advocat. n. 2. aliique citati à Lauterb. l. c. qui etiam n. 9. hanc infamiam extendit ad Doctorem & Consultum pro utraque parte eodem tempore super jure respondentem; lecus prout limitat idipsum Brunnem. ad L. 3. ff. h. r. num. 3. si diverso tempore mutata facti circumstantiâ vel opinione fiat responsio. De cætero pravaricari non dicuntur, & pœnis dictis non subjacent, qui visis juribus & causæ secretis, se illi patrocinari & simul adversarium adjuvare negant, ut patet. Menoch. num. 5. Hahn. ad Wesenb. h. r. num. 3. Item qui memoriâ lapsi, aut in alia causa adversario patrocinantur, Mevius p. 9. Decis. 173.

TITULUS XXIII. De Delictis Puerorum.

Quest. 388. An & qualiter puniantur?

Resp. Primò: infantes, id est, pueri, qui nondum septimum ætatis annum compleverunt, excusari à delictis, pœnisque iis statutis per leges, cum doli capaces non sint, & quid agant, ignorent. L. sed et si. ff. ad leg. Aquil. L. infans. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. Clem. unic. de homicid. Idem dicendum propter eandem rationem de pueris infantiae proximis, id est, septennium non multùm excedentibus. Farin. in pr. Crim. p. 3. q. 92. n. 46. Carpz. pr. crim. p. 3. q. 143. n. 130.

2. Resp. Secundò: Pueri propriè tales (quales sunt, qui infantiam, hoc est annum ætatis septimum, egressi, L. in Sponsalibus. ff. de Sponsal. nondum tamen annos pubertatis, hoc est, annum 14. si mares sunt, aut annum 12. si feminae, impleverunt. Farin. l. c. num. 6. Zacchias. qq. medico. legal. L. 1. tit. 1. q. 4. num. 11.) si pubertati propinquiores doli capaces (quod Judicis arbitrandum ex circumstantiis relinquitur, cum alios alius maturius judicio pollere contingat) patrantem crimen commissionis, v. g. furtum, mendacium, perjurium, homicidium &c. etsi criminaliter puniri possint, mitius tamen puniendi. c. 1. h. r. ita ut, si crimen

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. V.

de se sit capitale, ultimo supplicio affici non possint, aut etiam torqueri. L. 1. §. 33. ff. ad S. C. Silan. eò quòd ob defectum judicii minùs malitiosè & dolosè delinquere præsumantur. Arg. L. fere in omnibus. ff. de Reg. Jur. quamvis, ut Farin. Tom. 3. de pœn. temperand. q. 92. Arg. L. excipiuntur. ff. ad S. C. Silan. & Constit. Catoli V. a. 164. si tales crimina prorsus enormia committant, nec spes sit emendationis ultimo supplicio affici queant, quod ipsum ad crimen læsæ Majestatis ab iis commissum extendit Decian. apud Farin. l. c. n. 107. sed neque pueri tales puellæque pubertati propinqui, eam tamen necdum consecuti, licet ad copulam carnalem ordinariè apti non sint, adeoque fornicationes, adulteria, similiaque vitia carnis non commisisse, eorumque pœnas incurrisse præsumantur. Arg. L. licet minor. ff. & L. si adulterium. §. 4. ff. ad leg. Jul. de adulterio. ab iis tamen absolute & universaliter loquendo absolvendi non sunt, cum quandoque, malitiâ supplente ætatem, ad id apti reperiantur pueri puellæque, c. de illis. de sponsal. impub. & c. fin. de eo qui consang. ac proinde, dum de tali eorum aptitudine constat, dictis delictis tenebuntur quamvis mitiore quàm puberes pœnâ propterea afficiendi. Farin. l. c. num. 93.

E 6

3. Resp.

3. Resp. Tertio: Pubertatem consecuti, minores tamen adhuc 25. annis ob delicta commissionis, etsi pœnâ ordinariâ plecti possint, Arg. *L. si ex causa. ff. de minorib. & L. auxilium. §. 1. ff. eod.* regulariter tamen loquendo, & nisi alia delictum aggravantia concurrant, à Judice mitius puniri possunt, ac debent, quàm majores. Arg. *L. auxilium. ff. de minor. L. fere in omnib. ff. de Reg. Jur. Farin. l. c. num. 41. Clar. §. fin. q. 60. num. 3.* Dicitur tamen hic & *preced. resp.* ob crimina commissionis, quia ob peccata omissionis, quæ consistunt in non faciendo, non solum pueri proximi pubertati, sed etiam puberes, minores tamen, à pœnis criminalibus sunt immunes. Farin. *l. c. num. 69. & 722. Reiffenst. h. t. num. 6. Wiestn. num. 9. Arg. L. licet. C. si advers. delict. & L. minorib. C. de his qui ut indigni.* ex ea ratione, quòd imprudentia potius omisisse debita præsumantur & sic intret regulam *L. fere in omnibus.* nisi tamen probetur in omissione intervenisse dolum; tunc enim non omnino eximuntur à pœnis, ut constat ex *L. excipiuntur. ff. ad S. C. Silan.*

Quæst. 389. Nam pater teneatur ex delicto filii pubertati proximi aut minoris?

R Esp. Pater, qui delicti talis non particeps, aut in

filii correctione negligens non fuit, non tenetur exinde ad multam pecuniariam, ad quam filius talis condemnatur, solvendam ex legitima, aut alimentis filio debitis. *c. referente. h. t. & ibi Abb. n. 3. Barb. num. 9. Manzius de legitima. q. 15. num. 10. Covar. L. 15. Var. c. 8. num. 7. Pirh. h. t. num. 6. Wiest. num. 10.* nam generaliter loquendo nemo alienæ culpæ sit succedaneus, juxta *L. crimen. ff. & L. sancimus. C. de pœnis.* & specialiter patrem pro filio non conveniendum, patet ex *L. 1. C. ne filius pro patre.* nisi pater ex filii delicto factus locupletior, *L. licet. §. ex furtiva. ff. de peculio.* Ad hæc vivente patre legitima non potest separari à bonis, *L. 1. §. impubere. ff. de collat. bonor. & quamvis pater teneatur filium alere, æs tamen alienum pro eo solvere non tenetur. L. si quis. §. si mater. ff. de liber. agnosc.* Unde jam, si filius minor delinquens non habeat, unde solvat pœnam pecuniariam, aliter quàm multam pecuniariam plectendus, ut peccatum suum teneat auctorem. *c. quæsvit. de his, qua à majore.* His non obstantibus statuto vel consuetudine contrariâ, utpote quæ cum degenerare filio patrem spoliandi facultatibus suis licentiam concedit, rectæ rationi non satis consentanea videtur. Menoch. *conf. 100. n. 119. Barb. l. c. num. 3. Harprecht. in §. fin. Inst. de noxal. act. v. 12.*

TITULUS XXIV.

De Clerico Venatore.

Quæst. 390. Quotuplex sit Venatio, & qua prohibita Clericis?

1. **R** Esp. Ad Primum: Venatio trifariam dividitur à Sylv. *v. venatio.* in oppressivam, sic dictam, quia homines per eam injustè gravantur, & quasi opprimuntur; Arenariam, quæ cum bestiis in arena decertando exercetur; & Saltuosam, quæ etiam silvatica dicitur, quæ ad ferarum & volucrum captivum ordinatur, estque venatio propriè dicta, subdividiturque in clamosam, quæ magno retium, canum, accipitrum apparatus tumultuque & vehementia apros, cervos, aliasque majores feras, & quandoque etiam aves capiendæ exercetur; & in quietam, quæ sine strepitu, laqueis, retibus & paucis etiam canibus exercetur. Pirh. *h. t. num. 3.*

2. Resp. Ad Secundum: Imprimis venationem oppressivam omnibus interdictam nemo negat. *can. & §. fin. dist. 6.* Arenaria, præterquam quod illicita quoque sit, in famiam inducit, si cum quæstu exercetur, *L. 1. ff. de postulando.* Sylvatica etiam venatio, si clamosa, est clericis ac præsertim religiosi severè prohibita. *c. fin. Clem. 1. §. porro. de statu monachor. Trid. Sess. 24. c. 12. de reform. & quidem ob eandem sæpius exercitam Episcopi tribus, presbyteri duobus mensibus à communione arcentur. Diaconi ab officio suspendi jubentur, c. 1. h. t. uti & Subdiaconi, ut Gl. fin. in cit. c. 1. Clerici verò minores arbitrariâ pœnâ puniendi, ut Host. *in Sum. num. 4. Medices l. c. num. 8. & 9. Anchor. & c.* ratio hujus prohibitionis est, tum quia talis venatio tumultuosa & clamosa ob feritatem cædētque ferarum referens quandam speciem belli, & hinc à morum gravitate, humanitate & modestia aliena, valde dedecet statum clericalem; tum*

quia per eam à divinis officiis & spiritalibus occupationibus mentem curasque, à Clericis & Religiosis Deo debitas, ferè omnes avocet, & ad investigandas capiendasque feras traducat, exiguo aut vix ullo tempore occupationibus suo statui propriis relicto. Ita in *cit. c. 1. h. t. num. 7. Gonzal. Medices l. c. q. 8. à num. 2.* plures hujus prohibitiones coacervans. Quòd verò gravior Episcopis, quàm inferioribus Clericis ob exercitam eandem venationem irrogetur pœna; cum tamen aliàs juxta *c. pastoralis. de offic. deleg. & L. Sacrileg. ff. ad legem Jul. peculat.* in insignendis pœnis majoris nobilitatis & dignitatis habenda sit ratio major, inde est, quòd major dignitas in hoc casu magis augeat delictum, crescente autem delicto ex majore dignitate delinquentis, hæc non minuat, sed augeat pœnam, Tiraquel. *de pœn. temperand. cas. 37. De cætero*

3. Resp. Tertio: Venatio quietæ utilitatis aut corporalis necessitatis, vel honestæ recreationis causâ & rariùs instituta ad capiendos lepores, vulpes, similesque feras minores personis ecclesiasticis non est interdicta. Gl. in *cit. c. 1. v. voluptate.* Abb. *ibid. n. 1. Host. & Barb. ibid. num. 2.* Sylv. *v. venatio. Belletr. disq. Clerical. p. 1. tit. de disp. Cler. §. 19. Pirh. h. t. num. 3.* cum communi. Sumitur satis patenter à contratio ex Trid. *l. c.* estque ratio, quòd talis venatio ex se sit actus seu res omnino indifferens, & jure naturali permessa, & consequenter debiti temporis, modi, finis, aliarumque circumstantiarum habita ratione, & seclusâ lege positiva, etiam Clericis licita. Wiestn. *num. 4.* accedit consuetudo, optima legum interpretis, quâ constat istiusmodi venationem passim à doctis & timoratis Clerico reputari licitam & exerceri sine scrupulo,

TITU.